

ergo matrimonia non soluuntur per Baptismum; ea quæ probabiliter talia sunt, ab Ecclesia debent probabiliter sustineri: & ita pro illo dispensatio necessaria non est, quæ propriè talis sit; unde si detur, ad maiorem debet securitatem aduocari.

Assertiones aliæ pro eodem.

Assertio 5. Religiosos Societatis posse in omnibus gradibus iure diuino non prohibitis dispensare.

382 Ico quintò. Religiosi Societatis possunt cum Neophytis dispensare in quibuscumque gradibus consanguinitatis & affinitatis iure diuino non prohibitis, iuxta formam concessionis, quæ habetur in Compendio Indico per Gregorium XIII. Pium IV. & Pium V. & sic habet: *Possumt Presbyteri Societatis à Præposito Generali per se vel alios ad id electi Auctoritate Apostolica (gratis tamen dispensare cum Neophytis in quibusvis Orientalis, Brasiliæ, Peru, Nova-Hispaniæ, & aliis Ultramarinis regionibus, insulisque Oceani maris, ac Occidentibus partibus degentibus, in quibuscumque iure diuino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus, vel aliis coniunctis, aut se atinentibus, ut impedimentis huiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere, & solemnizare, seu, si iam scienter contraxerint, denuò contrahere valeant. In partibus quidem ubi locorum Ordinarij de facili adiri possunt, in foro conscientie tantum, sed perpetuo. Sic ibi. Pro quo & adduci potuit concessio Pauli V. in Bulla, quæ incipit: Cum sicut accepimus Ann. 1614. Vbi quidem aliqua continentur satis eximia. Primum, nullum gradum excipi, nisi qui iure diuino sunt prohibiti, de quibus iam dictum. Secundum, non solos gradus consanguinitatis & affinitatis, sed quæcumque aliam conjunctionem dispensationi non obstat, quæ quidem non alia esse videtur, nisi cognationis spiritualis, legalis, & publicæ honestatis. Tertium, ad Ordinarios necessarium non esse recursum, vbi de facili adiri nequeunt. Quartum, concessionem in foro conscientie esse perpetuam. Circa quæ aliquid adiciendum.*

Eximia illius concessio.

Dispensationem circa omnes dictos gradus stare posse, si probabiles sententia circa eandem sint.

Idem circa cognationem spiri-

cæ honestatis verba illa referri debeant. vel aliis coniunctis, aut se atinentibus, ex eo constat, quia ratione illorum aliqua coniunctio seu attinentia est; & cum nulla dicatur obstat, generali sunt clausulâ cõprehensa. Et quod ad duo posteriora impedimenta pertinet, nulla videtur esse difficultas: quoad primum autem id forsitan obstat quæpiam arbitretur, quod habet P. Thomas Sancius Lib. 8. de Matrimonio, Disp. 19. num. 7. ex diuersis Auctoribus, scilicet dispensationem in hoc impedimento esse difficiliorem, quia coniunctio est dignior, vtpotè à venerabiliori principio, & ita magis ab huiusmodi coniugijs abstinentum esse præterea illud indecens, & Ecclesiam Romanam numquam in eo dispensare. Quod quidem vt non debeat sic generaliter accipi; saltem habere verum in cognatione inter leuantem ac tenentem, & leuatam ac tentum, experientia est compertum. Et confirmari potest ex facultatibus concessis Episcopis Indiarum, de quibus alia: nona enim sic habet: *Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, præterquam inter leuantem & leuatam. Sed hæc non videtur obstat: nam in primis dispensatio talis concedi sæpè solet in secunda eius specie, in compaternitate inquam, quæ est inter leuantem & tenentem ac inter leuati ac tenti parentes: vnde ratio illa dignioris coniunctionis ob venerabilius principium non cogit, eo quòd totum illud iuris potitui Ecclesiastici sit, & in eò tantum inueniatur quædam imitatio naturæ in ordine ad superiorem finem, vt exponit D. Thomas in 4. Dist. 42. q. 1. art. 1. in Corpore, & art. 2. ad 1.*

Difficultas circa cognationem spirituales.

Cui clarè occurritur.

Et quid ex difficultate concessiois præxi sequatur.

385 Deinde. Quod Doctores de difficultate illa dicunt, intelligendum venit de dispensatione pro foro externo; nec de Indiis locuti, in quibus ratione immensæ distantie aliter oportuit prouideri. Quòd si Pontifices in facultatibus Episcopis Indiarum concessis id cum limitatione dicta concesserunt, alij eam non apponentes liberalitatem exhibuere maiorem, & id erga Episcopos etiam, vt inferius exponemus. Vnde in rigore facultate dicta non egent, durante Societatis priuilegio, de quo & statim. Et ita concessionem ad omnia impedimenta extendi, quæ iuris diuini sunt, tenent Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum sol. 143. pag. 1. P. Quintanad. Tomo 2. Tract. 6. Singulari 12. verb. *Dispensatio n. 17.* & alij; quamuis de alijs loquantur concessionibus, ex quibus quæ à nobis aliàs allata est, Innocentij Quarti sic habet: *Vel in gradibus, & casibus, à diuina minime lege prohibitis, matrimonia contraxerunt &c.* Vm etiam facit P. Quintana in concessione Alexandri Sexti omnimodâ facultatem tribuentis: vbi per errorem pro Adriano positus Alexander, erroris repetitione, quales alij in eodem opere, quæ esse solet fortuna posthumerum. Adducitur etiam concessio Leonis X. die 25. Aprilis Ann. 1521. de quo diximus non semel temporalem fuisse & personalem, & ita non curandum. Nunc autem prædictâ Adriani Bullâ accuratius inspecta ad communem estimationem firmandam, iuxta quam vim retinere censetur, in eadem aliqua inuenio fundamentum: sic enim in illa adrianus post omnimodæ concessionem: *& quia vt accepimus, per præfatos Prædecessores nostros Romanos Pontifices aliqua indulta*

Concessio alia Innocentij IV.

Et Adriani Sexti concessio.

concessa fuerunt Fratribus existentibus, aut ire procurantibus in dictis, & ad dictas Indiarum partes; Nos omnia illa confirmando, ac (quatenus opus est) de nouo concedendo, volumus vt præfati Prælati Fratrum pro tempore existentes, & quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum, omnibus prædictis indultis in genere vel in specie hæcenus concessis, & in posterum concedendis, vni, potiri & gaudere libere & licite possint. Hæc Adrianus: quæ quidem ad ea præsertim referri possunt, quæ prædecessor eius Leo X. anno proximo concesserat; sed cum temporaria limitatione. Cum autem in confirmatione & in nouatione prædictâ nulla limitatio sit, & ad futuros Prælatos ac Fratres, quibus illi concedendum duxerint, indultum præfatum extendat, verosimile apparet generale esse & perpetuum, ac per communicationem alijs eâ gaudentibus conuenire. Quibus quid opponi possit video; sed ea alijs discutienda relinquo.

Recursum ad Ordinarios non esse necessarium. Et quando neque pro foro externo distantie spatio designato.

386 Circa tertium. Quòd scilicet recursum ad Ordinarios necessarius non sit, cum de foro conscientie agitur, vbi cumque illi sint, indicat pro foro externo etiam facultatem concedi, cum de facili adiri nequeunt, vt exponit P. Quintanad. Singulari 12. citato, num. 10. sic censens vt Ordinarius debeat itinere decem diatarum distare, quarum quælibet viginti millia passuum contineat, & omnes ducenta millia passuum, sicut in eodem priuilegio extat, & in Bullâ Innocentij X. post alias Pauli V. & Urbani VIII. Verosimilius tamen est quod ex concessione prædictâ Adriani habetur, & ab eodem ipsius verbis proponitur numer. 12. dum sic loquitur: *Tamen intra duarum diatarum spatium ipsi, vel Officiales eorum, inueniri minime possint.* Sic ille. Pro quo etiam facit id, quod Pontifices alij circa facultatem absolvendî à casibus Bullæ Cœnæ decernunt, & post alios ab Innocentio X. cuius verba dedimus num. 302. & quæ ad institutum præfatum faciunt, illa sunt: *Neque Ordinarij saltem inter duas dietas existant.* Distantia ergo duarum diatarum, quas communiter dicimus *Iornadas*, difficile aditum reddit, vnde eâ stante, licet vltus prædictæ facultatis virtute priorum concessionum, quamuis Innocentius X. priores illas decem dietas assignet: expedire autem ad offensiones, quæ oriri inde aliquando poterunt, submouendas, plus, quam de iure necessarium sit, Ordinariis hac in parte, sicut & aliàs sæpè, deferre.

Quid perpetuiati priuilegijs obstat videntur ex temporali aliorum Pontificum concessione.

387 Circa quartum, vt prædictâ gratia perpetua non sit, videntur obstat temporales aliorum Pontificum concessionem, iuxta quas Innocentius X. verba illa. *Sed perpetuo sustulit, & ad viginti tantum annos suas voluit prorogari.* Et concessionem quidem perpetuam extitisse ignorare non potuit, quia eius meminit, quæ in Bullâ habetur Pauli III. & videtur esse, quæ incipit *Licet debuitur*, de qua num. 381. & sine vlla temporis limitatione procedit. Aut ergo eam reuocare quoad hoc voluit, aut non esse perpetuam iudicauit. Cumque hoc vltimum dici nequeat, prius videtur asserendum. Et hoc quidem magis videtur virgere in concessione prædictâ, quatenus eadem est cum concessione Pauli V. & Urbani VIII. vt ex earumdem tenore constat. Paulus autem in concessione suâ, & similiter Urbanus, in earum exordio protestantur, in huiusmodi gra-

tiarum concessionibus, vestigijs multorum Prædecessorum suorum insistere. Vnde non videtur dubitari posse quominus quidquid illi concesserant, habuerint satis superque perspectum. Hoc ergo scientes, & cum limitatione temporis concedentes, inuilem equidem concessionem suam non poterant ignorare: quandoquidem limitatione dictâ non obstante, id quod ipsi temporale voluit, perpetuum fore sciebant, & ita minime à priuilegijs de eorum limitatione curandum. Cum ergo hoc dici nequeat, dicendum sanè actum vtilem facere voluisse, & ita priuilegijs antecedentium amplitudinem limitasse.

Eidem obcurritur.

388 Nihilominus pro perpetuitate standum, quæ cum ita manifesta sit ex vi priorum priuilegijs, neque à Pontificibus limitationem addentibus fuerit expressè, aut etiam tacitè, ita vt expressè reuocationi æquiualeat, illius concessio reuocata; non est cur debeat sublata reputari. Regula Iuris in Sexto notissima est, oportere beneficium Principis esse mansurum: & ita cum de illius permanentia dubitatio suboritur pro illâ est ferenda sententia, & beneficium perpetuum iudicandum. Si ergo ita accidit quando perpetuitas in eodem priuilegio expressa non habetur, quòd id potius asserendum, vbi in priuilegio verbis expressis perpetuitas consignata reperitur. Neque adducta obstant, vt in casu vrgentiore diximus, num. 15. quando scilicet ab eodem beneficium cum limitatione conceditur, quod ab ipso fuerat sine limitatione concessum: dummodò voluntatem suam non amplius declararit, vt ibidem citati tenent. Pro quo discursus est satis vrgens in hunc modum efformatus. Nam concedentes cum limitatione, aut non meminerunt perpetuitatis aliàs concessæ, aut memoriam eiusdem habuerunt. Si primum: non est locus reuocationi, quia ignorantia, & idem de inconsiderantia est, facit inuoluntarium: neque est credibile id, quod tantâ est cum consideratione concessum, sine consideratione aliqua erga ipsum, siue in genere, siue in specie reuocatum. Et hinc est sollemnis Iuris decisio in Cap. 1. de Constitut. in 6. pro ijs, quæ Pontifex in sermone pectoris habere non debet, quia sunt res facti, & ita potest ignorantia aut obliuio in eodem reperiri. Si autem meminit, cum reuocare expressè poterit, nec tamen ita fecerit, contra illum est interpretatio faciendâ: sic enim & Pontifices ipsi statuunt, & habetur etiam in Regulis Iuris in 6. 57. dum ibi dicitur quòd *contra eum, qui legem dicere potuit aperius, est interpretatio faciendâ.* Et in rigore contra eum non est, licet species aliqua oppositionis esse videatur. Verè enim sibi non voluit esse contrarius, qui sic statuit, cum expressionem suâ subtraxerit voluntatis.

Pro quo vrgens discursus.

Cap. Contra, de Regula Iuris in 6.

Omnes concessiones quomodo coherere possint.

389 Possunt autem concessionem dictæ, et si contrariæ appareant, inter se coherere, & posterioris ratio aliqua specialis subesse: velle inquam Pontificem non ita independentem Evangelicos ministros se gerere, vt non debeant ad Sedem Apostolicam aliquè recursum habere, quod modus limitatæ indicat concessionis, licet aliàs sciant concessionem esse perpetuam: vel moderationis in eius vsu admonere, cum ad eò facilis subtractio sit, sicut est facilis limitatio. Et generaliter loquendo, dum limitatio additur, id esse indicio potest, non sibi



modò concessionem amplam ita placere, sicut aliis, aut etiam sibi antea placuisset: & quòd forte si concessa prius sine limitatione non fuisset, modò non concederetur, eò quòd ratio aliqua postea occurreret, quæ pro voluntatis mutatione considerabile possit habere momentum; quæ tamen non obstante, prior concessio abroganda minime videatur. Quando autem sic confirmari dispositiones possunt, favorabiliter iudicandum est, quia semper vitari debet cõtrarietas voluntatum. L. Repugnantis. D. de Regulis Iuris: pro quo & alia adducit Marius Antoninus Lib. 2. Variarum, Resol. 22. num. 7.

Limitationem circa gradus similiter non obstat.

390 Iuxta quam doctrinam affirmandum etiam non obstat limitationem, quam Pontifices posteriores addunt circa gradus consanguinitatis & affinitatis: primum enim excipiunt, vt in eo non possit dispensari, vt videri potest in Bullis Pauli V. Urbani VIII. & Innocentij X. Cùm enim Paulus III. & Greg. XIII. alique eos tantum excipiant, qui iure diuino sunt prohibiti, eorum est standum concessioni; quod viri docti in hac & alijs Prouincijs censuerunt, & quasi pro certo statuit P. Quintan. de similibus concessionibus loquens supra singul. 13. n. 7. Est autem pro eo specialiter ratio vltima, & quod de voluntate Pontificum dictum est: velle scilicet hoc pacto ostendere, quòd si ipsi primi huius priuilegij essent auctores, primum gradum minime essent concessuri, quamuis ob reuerentiam concedentium, & tuendam Sedis Apostolicæ auctoritatem, quæ fornicari & obseruantia suorum priuilegiorum aduigilat, illud noluerint penitus reuocare. Quibus addo concessionem istam vt à præfatis Pontificibus profectam, meram gratiam continere, vt ex illius constat exordio: iuxta postulationem enim RR. Patrum Generalium procedit, qui augeri Societati gratias, non adimi cupiebant: & per eam regulanda concessio. Cap. Inter dilectum, s. Ceterum, de fide instrumentorum, cùm Glossa ibi. Et Pontifices ipsi omnino beneplacitam circa hoc voluntatem præferunt: ergo nihil tali concessioni ademptum, quòd alias liceret; quia circa hoc postulatio non est dicta, & Pontifices meram gratiam conferre voluerunt.

Instantia vrgens pro asserto.

Assertio circa fori exterioris quòd Ordinarij cum assensibus sacerdotibus Societatis possint.

Priuilegij tenor.

391 Dico sextò. Secunda priuilegij pars, de quo num. 382. iuxta illius tenorem decurrere potest, qui sic habet: Ordinarij verò ipsi ibidem in vtroque foro, sed tantum ad viginti annos, à data presentium computandos, de consilio tamen & assensu doctorum Societatis Presbyterorum, tamquam Adiutorum & Assessorum suorum, vbi eorum copia commodè haberi possit. In reliquis autem Prouincijs Ordinarij præsentia destitutis, vel ab eis non minus ducentis millibus passuum remotis, idem Presbyteri per se in vtroque foro possint in prædictis dispensare. Possunt etiam prædicti Sacerdotes in eisdem locis denuntiationes, & alias extrinsecas solemnitates & ceremonias, cùm id expedire, aut necessum esse visum fuerit, omittere: prolemque susceptam aut suscipendam, legitimam declarare. Sic ibi. Vbi quidè licet concessio temporalis sit, in ordine tamen ad eius effectum cum amplitudine dicta debet intelligi. Itaque possunt Ordinarij Assessorum prædictorum consilio & assensu in omnibus gradibus iure diuino non prohibitis dispensare, non obstante limitatione, de qua diximus; quia

sicut illa pro Religiosis Societatis non obstat, ita neque pro Ordinarijs, quia similis ratio militat. Vbi non iam in concessione Urbani & Innocentij vis facienda est; quia cùm temporalis fuerit, & limitata, satis fundatum ex illa nequit desumi præsidium; quòd tamen ex Bulla Pauli V. valde robustum occurrit. Ille enim in Bulla citatâ An. 1614. quæ incipit: Cum scitis accepimus, priuilegium Societati in ordine ad dispensationem in quocumque gradu non prohibito iure diuino concedit, in foro conscientie perpetuum: & post huiusmodi concessionem pro foro externo idem, & eisdem propè verbis, quòd ex Indico Compendio est positum. Illa ergo concessio ad omnia se extendit, ad quæ prior pro foro conscientie: quæ finitæ quidem est Anno 34. sed instaurata ab alijs Pontificibus iuxta eundem sensum intelligenda est, licet illi primum gradum exceperint. Cùm enim, vt probauimus, eorum mens non fuerit amplitudinem priuilegij demoliri: sicut in foro interno id dicendum est, ita & in externo, in quo id priori concessione licebat. Et quemadmodum circa amplitudinem nunquam in vtroque foro aliqua est decreta varietas, sed solum circa durationem; ita in posterioribus est concessionibus asserendum, ad idem scilicet fori vtriusque concessionem extendi, quidquid sit de illorum duratione. Neque credibile est Pontifices velle Ordinarij circa hoc facultatem eâ esse minorem, quæ Religiosis in foro conscientie competit; quandoquidem in omnibus præcedentibus indultis eos pariarunt. De duratione autem priuilegij modò vigentis, scilicet Innocentij X. iam dictum supra, quoad hoc ab Anno 1654. decurrens Anno 1674. finiendum.

392 Sequitur iam illud: De consilio tamen & assensu doctorum Societatis Presbyterorum. Vbi manifestum est particulam, & sensum copulatiuum reddere, & ita consilium petiisse non sufficere, nisi consensus seu assensus accedat. Ea enim est vis dictæ particulæ copulatiuæ, quæ requirit concurrentem copulatiuum. Per Glossam & Doctores, in Cap. 2. de Rescriptis. Baldum Consilio 318. in fine, Volum. 4. Castrum Consilio 44. Col. 2. Volumine 1. & alios communiter. Neque obstat quòd additur: Tamquam Adiutorum & Assessorum suorum. Assessorum enim non assensus, sed consilium requiri debet, vt diximus Titulo. 3. 92. Id namque communiter verum est, non tamen repugnat Assessorum aliquando Consilium à Pontifice requiri. Et ita videmus in his regionibus accedere in iudicijs delegatis circa civiles causas Regularium, quando Iurisperiti non sunt: nequeunt enim contra Assessorum Consilium sententiam pronuntiare. Præterquam quòd Religiosi Societatis non Assessores tantum, sed etiam Adiutores compellantur; vnde in partem vocantur sollicitudinis, vt potè quibus est priuilegium directè concessum, & ministerium conuersionis, & fidei propagationis incumbit. Consilium ergo Assessoribus respondet, assensus Adiutoribus.

393 An autem aliunde possint Indiarum Episcopi sine Assessoribus & Adiutoribus dispensare si quis querat. Responderi potest affirmatiuè iuxta concessionem Adriani VI. de qua num. 385. & 386. In eâ enim Religiosis dispensandi facultas

Ordinarios posse in omnibus prædictis gradibus dispensare.

Sacerdotes Societatis ita esse Assessores, vt iuxta eorundem assensum nequeant Episcopi fore sententiam.

Sine illis ex concessione Adriani non possunt dispensare.

facultas committitur, si Episcopi, aut eorum Officiales, intra duarum diatarum spatium non existant. Vbi supponitur Episcopus ipso, & eorum Officiales facultatem talem habere: alias non esset cur ea Religiosis deberet, vbi illi adstant, limitari. Adducit etiam P. Quintanad. Tractat. 6. citato, Singular. 12. numer. 19. priuilegium Pij V. concessum Episcopis Indiæ Orientalis: sic enim ille Archiepiscopo Goano rescribit: Quod Nos hortatus es ad concedendum istarum partium Episcopis facultatem dispensandi cum his, qui matrimonium inter se in gradibus à iure prohibitis contraxerunt, vel in posterum contrahere congerit. Nos saluti animarum consulere volentes, & considerantes quam difficile sit ac longum ex tam remotis Orbis terrarum partibus ab Apostolica Sede huiusmodi absolutiones & dispensationes petere, facultatem eam duximus concedendam, sicut ex alijs nostris Litteris intelliges. Sic ille. Quam concessionem etiam ad Indias Occidentales extendi constat ex dictis, numer. 114. Verùm quia ista non adeò certa sunt: non ex eo quòd priuilegia sint incerta, sed quia illatio irrefragabilis non est, licet appareat probabilis, Ordinarij, dum concessio alia viget, iuxta illam debent in dispensatione procedere; quia alias inutile reddent priuilegium Societatis quoad forum exterius, iuxta id speciale, quòd ipsis in Ordinarij ipsorum præsentia conceditur, contra Pontificis mentem, & securâ relictâ viâ dubiam amplectentur sine congruenti ratione: ex affectatâ inquam independentiâ à Religiosis, in quâ deberent Pontificiæ Sedi obsequium præstare fidele, cuius beneficio sunt id, quòd sunt; post Dei gratiam. Et hac ex parte eorum non limitat potestatem, cùm de iure illis dispensandi in prædictis non competat, sed eisdem benignè tribuitur cum aliorum adiutorio, sicut in multis tenentur Capituli Consilium adhibere. Si tamen concessio temporalis, de quâ agimus, aliquando desit, tunc ad duas præfatas poterunt iuxta casum exigentiam prouocare. Et priuilegium quidem Pij V. non de solis Neophytis procedit, sed generaliter: & licet de ijs procedat, qui in gradibus prohibitis contraxerunt, ad eos etiam extendendum, qui contrahere volunt, propter rationem eandem, difficile inquam aditum Sedis Apostolicæ: quæ sanè vrget, dum de salute agitur animarum, vt Pontifex ibidem attestatur. Quòd est dignum obseruatione pro casu saltem vrgentiore.

Aliud Pij V.

Quid pro praxi & de Episcoporum obligatione ad usum priuilegij iuxta formam in eo præscriptâ.

Priuilegij Pij V. ad omnes Indiarum incolis extendi.

Distantia per passuum quomoda computanda.

Admonitio circa usum priuilegiorum attendi à solum conuenientia.

Religiosos Societatis solummodò, sed & Ordinarios tangit, vt non pro libitu dispensationes faciant, sed momentis vtilitatis expensis, in quo video non rarò delinqui. Curati enim volentes contrahere Ordinarijs nudè proponunt, nullâ conuenientie additâ ratione; & sine inquisitione alia dispensantur. Nisi forte existiment Indos & similes priuilegiatos eo ipso quòd contrahere velint, dispensari debere, quia in dispensationis negatione inconueniens potest non leue timeri, quòd scilicet in pellicatu incauto perleuerent. Quæ suspicio indole eorum inspectâ, non debile habet fundamentum. Iuxta quòd etiam procedit id, quòd tandem adijcitur in hunc modum, & iniungitur vt diligenter Neophytos ipsos admonent, vt ab eiusmodi matrimonijs Canonica lege prohibitis abstineant. Quæ adhortatio nihil diuertum videtur præferre: si enim prædictorum onerantur conscientie, ne dicta facultate vtantur, nisi vbi expedire existimauerint, eo ipso satis intelligitur debere eos, quòd contrahere sine speciali conuenientia volunt, à dispensatione repellere, & sic matrimonia lege Canonica prohibita, nõ esse ab illis frequentanda. Pro huiusmodi autem admonitionibus id sit dixisse satis ad scrupulos submouendos, quamcumque rationem conuenientie, supposita talium indole, sufficientem fore, vt sine conscientie onere dispensatio possit impartiri.

Admonitio alia parti.

Obseruatio pro scrupulis submouenda.

Alia circa eandem materiam Pronuntiata.

395 Priuilegium aliud in Compendio Indico habetur §. 7. in hunc modum. Potest Præpositus eius Generalis, & alij Præpositi ac Presbyteri Societatis per Præpositum Generalem in India Orientalis partibus deputandi, existente rationabili & legitima causa, dispensare in foro conscientie cum Neophytis & alijs omnibus ibidem commorantibus, qui in facie Ecclesie illegitimum matrimonium, siue scienter siue ignoranter, contraxerunt, super quouis occulto impedimento, propter quòd tale matrimonium in conscientia fuerit inualidum, ipsi, que contrahentes sine scandalo separari nõ possint, iniunctâ eis pro modo culpæ penitentia salutaris, dummodò de nouo inter se secretò contrahant, seruata forma Concil. Trid. si id sine scandalo fieri possit: alioquin super quo eorum conscientia oneratur etiam dicta forma nõ seruata. Sic ibi, admonitione eadem addita, de qua n. præced. Quæ quidè concessio eximia est, quia nullus gradus aut impedimentum excipitur, sed ad omne coniugium illegitimum extenditur. Deinde non pro Neophytis tantum, sed pro omnibus alijs Indiarum incolis procedit. Et licet pro Indiâ Orientali sit facta, ex declaratione tamen eiusdem, qui concessit, quæ ad illam spectant, ad occidentalem sunt etiam adijcenda, vt num. etiam præced. dicebamus. Illud autem eximiam concessionem obnubilat, quòd scilicet licet temporaria fuerit, vt potè à Gregor. XIII. ad decennium tantum indulta. Ann. 1579.

Priuilegiū eximium Greg. XIII.

Ad omnia impedimenta & personarum extenditur.

396 Quia verò, vt dixi num. 27. non deerunt qui censeant priuilegium dictum à Paulo V. confirmatum & innouatum, iuxta dicta citat. num. & antecedentibus alijs, magnum profectò ex eo pro casu vrgentissimo poterit haberi periculum. Quòd tamen in Societate non videtur facile admittendum, quia ad priuilegiorum usum necessaria est communicatio R. P. Generalis; & illam pro casu præsentis non esse ex eo apparet, quòd

Quia temporale, & finitum, ad praxim nõ videri reducenda.

Tandem sic additur: Admonentur tamen omnes à Summo Pontifice, ne ijs facultatibus vtantur, nisi vbi id expedire existimauerint, super quo eorum conscientia oneratur. Sic ibi. Quæ admonitio non